

EXPERIMENTUM III.

RUsticus, 32. annorum, a tenera aetate diris convulsionibus, & vera epilepsia omni tertia quartave septimana adeo vehementer afficiebatur, ut post quemlibet paroxysmum manserit debilis, mentisque suae impos, & demens per plures dies.

Corripiebatur is febre acuta, putrida, unde ferebatur ad nostrum nosocomium.

Postquam per dies quatuordecim in nosocomio fuit, cœpit convalescere.

Finita tertia septimana, dum ex nosocomio voluit discedere, invasit eum convulsio & vehemens epilepsia paroxysmus, qui per integras tres horas duravit.

Fi-

Finito paroxysmo deliravit absque febre, & vires habuit penitus prostratas.

Propinavi ei tunc emulsum sequens:

R. Camphoræ gr. xv.

Sem. Melon.

Amygd. Dulc. aa. unc. jβ.

F. C. Decoct. hord. Emuls.

Colaturæ Lib. ij. adde.

Syrup. Diacod.

— Menth. aa. unc. j.

M. S. sumat æger omni bihorio duo cochlearia.

Spatio viginti quatuor horarum au-
gebantur vires, æger se ipsum in lecto
erexit, nec manibus amplius tremuit, ve-
rum delirium non cessavit.

Tertio die vorax erat, & vi aliis æ-
gris voluit cibos arripere, & oblatæ avi-
dissime deglutivit.

B

De-

Delirio per vices accessit furor.

Quarto die incepi dare mane unam pilulam (grani unius) de extracto Stramonii, vesperi eandem dosin iteravi.

Nox pacata fuit.

Die quinto nullus advertebatur furor, attamen erat adhucdum mens penitus alienata , nec ullum aptum responsum dedit æger.

Interim obediens fuit in omnibus, nec ea , quæ ei offerebantur, adeo avide deglutivit ; nec facies amplius adeo torva erat.

Sexto die eadem Dosi continuavi , & symptomata erant quoque eadem.

Idem observabatur die septimo.

Nec quidquam mutatum fuit octavo die.

Nono die dedi ter pilulam unam grani unius.

Hoc

Hoc die erat æger valde pacatus, & per plures horas post meridiem dormivit.

Mens erat adhucdum turbata; attamen noctes *omnes optimo*, & profundo somno transfigebantur.

Decimo die sæpius apte respondit, & famem conquestus est.

Undecimo die ambulabat per cubile, & aliis ægris loquebatur, dum vero aliquamdiu loqui continuavit, turbabatur iterum, & inepta protulit; paulo post autem ipse agnovit, quod erraverit, unde se correxit, & bona ratione ad priora rediit.

Duodecimo die fere nihil sinistri observatum est.

Decimo tertio die optime se habuit, dixitque, se nunquam caput adeo libe-

rum, & mentem ita serenam habuisse,
seque fere toto vitæ tempore languisse,
nunc omnia mutata esse, omnia vigere,
& esse agilia.

Retinui eum in Nosocomio, ut vide-
rem: an paroxysmus debito tempore
rediret.

Interea quotidie dedi ei pilulas tres,
& victum sanorum.

Alvum depositit quotidie naturalem,
urinam autem misit copiosam, pallidam.

Omnes functiones erant liberæ, sanæ,
robur erat integrum, & musculi omnes
torosi.

Sub initium quartæ septimanæ eum
subito præter omnem opinionem invasit
paroxysmus epilepticus.

Is autem levis fuit, nec ultra horæ
quadrantem duravit.

Nec

Nec æger inde vires amisit, nec mens
ei emota est.

Lætabar propterea, fecique, ut æger
easdem pilulas in eadem dosi continua-
ret.

Post paucos dies dum optime se ha-
beret, rogavit, darem ei bonam harum
pilularum portionem, ut iis domi suæ
posset uti, promittens, se illico redi-
turum ad me, si vel minimum malum
adverteret.

Verum ab eo tempore eum non am-
plius vidi.

Cum bonum ex his pilulis effectum ha-
buerit, credo, quod nosocomium ite-
rum accessisset, si eum denuo morbus
prehendisset.